



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 119. De Phranzis fato in hac obsidione

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

**Sæcul. XV.** possidebant, Mahometi cesserunt, ab eo  
**A.C. 1453.** nequidem desuper interpellati, sicque ex  
 Christianorum foederatis Turcarum man-  
 cipia ac tributarii evaserunt. His quo-  
 que crimini datur, quod longe potentiori  
 auxilio, si voluissent, Constantinopoli-  
 tanae urbi succurrere potuissent. Jam vero  
 Pera ab eis Mahometi tradita, profu-  
 gorum bona fisco addicta, multorum alio-  
 rum direpta, & foeminae, puerique tur-  
 piter prostituti fuere; turrets insuper, ac  
 muri diruti; ex campanis bombardæ  
 conflatae; ac demum Turca urbis Rector  
 constitutus est, qui turrim, in cujus sum-  
 mitate signum Crucis eminebat, e fundamen-  
 tis everti præcepit. Aliorum tamen Au-  
 ctorum testimonio discimus, quod Maho-  
 metes Genuensibus Peræ incolis bona re-  
 liquerit, ac secundum patrias leges viven-  
 di licentiam, necnon cum extraneis mer-  
 caturam exercendi libertatem concesserit,  
 adjecta tamen hac conditione, ut solitum  
 Turcis tributum penderent, nec campa-  
 nis uterentur, aut novas Ecclesias con-  
 struerent.

## §. CXIX.

*De Phranzis fato in hac obsidione.*

*Phranz l. 3. c. 18. in fin.* Phranzes sive Georgius Phranza, qui  
 apud Imperatores Constantinopoli ve-  
 stiarum Præfectus, ac oculatus direptæ ur-  
 bis

bis testis erat, propriæ suæ calamitatis Sæcul. XV.  
 haud oblitus narrat, se quoque cum ce- A.C. 1453.  
 teris in potestatem hostium venisse, omnesque duræ servitutis conditiones expertum, postremo venditum, ac Spartam esse perductum, ibidemque redemptum inter Thomæ Principis, defuncti Imperatoris Constantini fratris domesticos cooptatum fuisse, accepta ab eodem quadam ditione; postea vero ejusdem nomine varias legationes obiisse. His addit, uxorem quoque suam captam fuisse unacum liberis nimirum Filio, atque Filia, eodemque a Turcis vendites uni apud Mahometem stabuli Præfecto, qui illos ob formæ, ac morum præstantiam ingenti pecunia emptos abduxerat, postea tamen filium propria sua manu jugulaverat, Filiam autem in palatio mortuam ex pestilentia, uxorem tandem auro redemptam fuisse ait. Hic idem Phranzes, urgentibus nonnullis Corcyræ Nobilibus, rerum sui ævi memoratu digniorum chronicon conscripsit, in quo ea duntaxat, quæ proprii oculi testimonio comprobata habuit, recenset, suamque historiam ad annum millesimum quadringentesimum sexagesimum primum producit.

## §. CXX.

*Mahometes Christianis placatus.*

**M**ahometes, cum ex una parte probe intellige-